

dampnabiliter iniendo; in quibus omnibus episcopi Pragensis et quarundam aliarum personarum ecclesiasticarum eiusdem regni dicitur esse manus. Ne igitur tantum malum, si ei obviatum non fuerit, invalescat, mandamus quatenus natum et barones eosdem, ut ab iniquitate huiusmodi penitus desistentes ad devotionem praefati regis, a qua sine nota infamiae ac animarum periculis non possunt recedere, redeuntes ei ut tenentur intendant, attentius moneas et inducas. Quod si monitis tuis acquiescere non curaverint, ipsos et omnes eis in hac iniquitate fautores auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, excommunices et terras eorum subiicias districtissimo interdicto, ita quod praeter baptismata parvulorum et poenitentias morientium nullum in eis celebretur divinum officium aut exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, faciens huiusmodi excommunicationis et interdicti sententias singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis per loca, in quibus expedire videris, solemniter publicari, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Eundem vero episcopum, quia excommunicatus a dilecto filio fratre Gottfrido de ordine praedicatorum poenitentiario nostro ad partes illas destinato a nobis nostra exigente iustitia, divina officia sicut dicitur celebrare, immo quantum in eo est, verius prophanare praesumpsit, et contra ipsum regem una cum eius filio conspirare, eadem auctoritate nostra praefigas ei terminum peremptorium competentem, quo personaliter nostro se conspectui repraesentet pro meritis recepturus. Cum autem, sicut nostris est auribus intimatum, nonnulli praepositi, decani, canonici et rectores ac alii canonici ecclesiarum regni praedicti, fovendo et adhaerendo supradictis nato regis et baronibus persecutoribus ecclesiae contra eam, beneficiis ecclesiasticis reddiderint se indignos, et dignum sit, ut indevoti ex indevotione iacturam et devoti ex devotione commodum assequantur, volumus et mandamus, ut praepositos, decanos et alios antedictos, si tibi eos constiterit tales esse, personatibus et dignitatibus ac beneficiis, quae ab ecclesiis obtinent, eadem auctoritate perpetuo privans, facias ea conferri per illos ad quos ipsorum collatio pertinet, si tamen sunt devoti ecclesiae Romanae, alioquin tu illa conferas hac vice personis idoneis et ecclesiae praedictae devotis, contradictores etc. Datum Lugduni X. Kal. Maii pontificatus nostri anno sexto.

Aus dem Lib. regestor. Innocentii PP. IV. an. VI. (Cod. membr. bibl. imp. Paris. n. 4039 Fol.) epist. 466. Baluzii Miscellan. lib. VII. p. 489—91. — Im Auszug Albert v. Beham herausgeg. von Höfler (Schriften d. literar. Ver. XVI.) S. 188. — Aus dem Lib. reg. etc. des Vatican. Archivs. Erben regesta Bohem. S. 570 f. Boczek cod. dipl. Morav. III. p. 106.

No. 148. 1249. 24. Apr.

*P. Innocenz IV. befiehlt dem B. Conrad den K. Wenzel von Böhmen, der zur Thronentsagung genöthigt worden, von dem desshalb geleisteten Eide, und die ihm zu Wiedererlangung der Krone beistehen, vom Banne freizusprechen.*

Innocentius servus servorum dei venerabili fratri . . Misnensi episcopo salutem etc. Cum carissimus in Christo filius noster . . illustris rex Boemiae nobili viro . . nato eius una cum nonnullis baronibus regni Boemiae contra ipsum nequiter insurgente ac eum impugnante hostiliter iuramentum super cessione dicti regni eisdem